



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 106. Diversæ Patrum Sententiæ circa capita, & Doctrinæ Canones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

las, & irritas esse dixerint: hi ergo Oratores affirmabant, id adversari Francie consuetudini: idcirco habito Theologorum conventu Oratoribus declaratum quod Patrum mens in illis verbis fuisset, ut solum definiretur, vim Sacramenti ab assensu populari minime perdere: verum oratores cum clariorem explicationem cuperent, Patres eoinduxerunt, ut vox *Ordinationes* in vocem *Ordines* commutaretur. Ast hac Patrum indulgentia nondum contentio fuerat sopita; quippe Granatensis Archiepiscopus, cujus jam sæpius meminimus, semper contentiosius obstinuit, ac postea plures alios Episcopos concitabat, qui in sequentibus Patrum Congregationibus sese eidem adjungebant.

## §. CVI.

*Diversæ Patrum sententiæ circa Capita, & doctrinæ Canones.**Pallav. n. 6.**Sarpinus l. c.*

Ferventibus circa hanc controversiam diffidiis, interea alii Præsules consultatione habita Canonem circa Episcoporum institutionem approbavit, quin tamen ea de Jure divino declararetur, nonnullis hanc veritatem ab hæreticis minime negari existimantibus, aliis vero solum Papam a Deo fuisse institutum perperam censentibus: verum Jadrensis Archiepiscopus haud ignarus,



Sæcul. XVI.  
A.C 1562.

rus, quod hæretici in sua Confessione Augustana Institutionem Episcoporum ex jure Divino stabilitam impugnant, affirmabat, hanc clausulam, *de jure Divino*, tanquam essentialem pro impugnanda hæresi esse addendam, huncque errorem, cum non modo in præfata Confessione, sed & in aliis Novatorum libris contineretur, esse confundendum. Placuit hæc sententia Bartholomæo de Martyribus, qui a Synodo declarandum aiebat, quod Episcopi non solum prædicandi potestatem, quam hæretici haud abnuunt, sed etiam confirmandi, ordinesque conferendi facultatem receperint, cum id hæretici in controversiam ducant: quinimo idem Archiepiscopus eo licentiæ progressus est, ut hæc asserere præsumeret: „Pontifex Episcopis auctoritatem, „quam in sua inauguratione acceperunt, „adimere nequit, ea autem non modo „Ordinis, sed & jurisdictionis potestatem „continet; recipiunt enim per Ordinationem quemdam gregem, quem pascant, ac gubernent, sine quo ordinatio esset nulla, ac propterea ipsis etiam Episcopis titularibus Urbs quædam assignatur, quod tamen necessarium haud foret, si Ordo Episcopalis absque jurisdictione subsistere posset: „insuper tradito Pado Pastoralis Episcopus,

F f 2

„pus



Sæcul. XVI. „pus consecrans ad inaugurandos di-  
 A.C. 1562. „cit, quod id tradat in signum acceptæ  
 „potestatis, qua corrigere, ac vitia pu-  
 „niri valeant: Magis autem id suade-  
 „tur, cum tunc, ubi eorum digito an-  
 „nus inferitur, hæc adhibeantur verba,  
 „quod per hunc ritum ipsi desponen-  
 „tur Ecclesiæ, traditoque Evangelii  
 „libro, quo Character Episcopalis impri-  
 „mitur, ipsis injungatur, ut populo eo-  
 „rum curæ commisso Evangelium an-  
 „nuntient: postea vero hæc subjunga-  
 „tur oratio: *Deus omnium fidelium Pastor,*  
 „*Et rector &c.* ac Deus, qui hunc Epi-  
 „scopum suæ Ecclesiæ præesse voluit,  
 „exoretur. Denique Innocentius III.  
 „inquirebat, quod spirituale Episcopus  
 „connubium cum sua Ecclesia sit vir-  
 „culum a Deo institutum, nulla hu-  
 „mana potestate dissolvendum, adeo,  
 „ut nec ipse Pontifex Episcopum trans-  
 „ferre possit, nisi ad id specialem a Deo  
 „potestatem acceperit: porro id om-  
 „nino absurditatem saperet, nisi Epi-  
 „scoporum institutio esset juris Divini.

## §. CVII.

*Veneti Patriarchæ opinio a Segobien-  
 si Episcopo confirmata.*

*Pallav. c. 14.  
 n. 5. & 6.  
 Sarp. l. 7.  
 pag. 590.*

Cum autem Venetorum Patriarcha  
 illa verba, ubi Sacerdotium dici-  
 tur Ordinis complementum, impugna-  
 set.